



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de erroribus Pelagianorum, de gratia, de iustificatione & merito,
de virtutibus theologicis & quatuor cardinalibus, ac de ineffabili mysterio
incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Præfatio

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77177)



TRACTATUS DE CIMUS.

De Virtutibus Theologicis.

A quæstione 1. secundæ secundæ D. Thomæ, usque ad 47.

P RÆ F A T I O.

TRIBVS in rebus Christiani culminis fundamenta consistunt, idest in fide, spe, & charitate, inquit Zeno Veronensis. Fides immotum religionis fundamentum, cui cetera virtutum dona innituntur, & quâ firma sunt, rerumque sperandum substantia & hypostasis, primum inchoat Christiani hominis, & ad cœlestia nati, vitæ motum, aperitque oculos, & ad æternam illam & incommutabilem veritatem attollit, ad quam spes suspiret, quam charitatis complectatur; & tanquam æterni luminis umbra, obscurior radius, ut longius protensa lux, in obscuriorem radium delinquit, immentiam lucem beatis mentibus, cum aspiraverit dies, & inclinata fuerint umbræ, paratam; obscuritate quadam, ad nostrarum mentium imbecillitatem temperatam, involvit. *Fides enim (inquit Bernardus) lucem non exstinguit, sed custodit: ut inaccessibiles æterni luminis splendor, in umbris fidei posita, ferre paulatim mens discat. Bona fidei umbra, quæ lucem temperat oculo caliganti, & oculum præparat luci.*

Spes, quam idem Zeno fidei gloriam, & Hilarius maximum fidei stipendium appellant, cui præsentia subjacent & futura; illa, quia contemnit: ista, quia sua esse præsumit, desiderii languens, manus & brachia ad æternam pulchritudinem tendit, quæ inter fidei umbras, intercepta luce se prodat, loquitur, respicit, & ex hebræo, promicat per cancellos, instar timentis videri, aut alternis vicibus occultantis sese & prodentis, ut sui desiderium accendat: ad quam ea vehementius animus fertur, quod spe, firma suæ salutis anchora, qua ad versæ & sævæ fortunæ fluctus sustinet & frangit, erectus, eam sibi promissam, & ex parte exhibitam cernit, ut jam aliquid etiam ultra spem audeat; cum sola spe gaudet, & inter possessionem & expectationem affectus dividit, sentitque possessionis gaudium, & spei desiderium.

Charitas quam fides concipit, & ad quam spes currit (inquit Cassiodorus) utraque, scilicet fidei umbras prætergressa, & spei suspiria, sese totam in Deum immittit: *secundum autem se (ut ait Augustinus) excedit à sensibus, ut se non sentiat quæ Deum sentit.* Hæc enim scilicet & cœlestis gluten, quod animam supra seipsam, supra mortalia, penè supra cœlestia erectam, Deo jungit, cum mens (ut inquit idem Augustinus) in effabili Dei illecta dulcedine, quodammodo se sibi furatur, imò rapitur, & à se labitur, ut æterna pulchritudine, quam fides ostendit, spes optat, charitate fruatur.

Hanc igitur virtutem triplicem, qua triplici religionis vinculo, aut nunquam solvendo funiculo, homo Deo devincitur, hic explicandam suscipio. Quid verò sperare debeas, erudite Lector, non dicam: ex aliis quæ hætenus præmisimus, facile ipse intelliges: sunt enim quædam ingeniorum temperamenta, & quæ varias res, veluti varia condimenta, appetant. Ingenii tui gustum consule: quæ enim exhibeo, superioribus simillima sunt; argumentum non ignobilius, methodus eadem, idem Angelicus Doctor quem interpretor; nisi quod sanctissimi viri, nunquam melius quam de virtutibus, arcana quadam consensione, sympathia, & ut ipse Doctor Sanctus loquitur, *conaturalitate*, sentiunt. Vale: opto ut quæ de virtutibus scribam, nedum intelligas, sed & sentias.